

62.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA
DE
VARIOLIS,

Quam
Consenſu & Authoritate
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
IN ALMA EBERHARDINA
P R A E S I D E
**DN. RUDOLPHO JACOBO
CAMERARIO,**


Phil. & Med. Doct. Hujusque Prof. Publ. Ordinario

Celeberrimo,
Facultatis Suæ DECANO Spectatissimo,
Dno. Patrono & Praeceptore suo omni observantie
cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORALI
Summisque in arte Medica honoribus atq; Privilegiis
rite & legitime capessendis

publice ventilandam proponit
PHILIPPUS JACOBUS BAUR, Vayhingensis.
Ad diem Febr. MDCCXVII.
Hor. loc. confuet.

TUBINGÆ, Literis JOSEPHI SIGMUNDI.





§. I.

HAUD pauci in nostrâ Medicinâ annotantur atque expli-
cantur morbi, qui vel nunquam vel raro, Medico pra-
etico occurunt: In quorum numero recensemus Ca-
talepin, peftim, miserere, sudorem Anglicanum, affe-
ctus soporofos, scorbutum in nostro climate & diabe-
tem strictè sic dictos, vitiaq; nonnulla Oculorum; E con-
tra sunt, qui frequentius Medici exposcent Operam, in quibus numeram
mus febres intermitentes. Frequentissime autem omnium occurrit
morbis ille, qui jam per aliquod tempus penè per totam Europam gra-
fatur, in nonnullis Regionibus sic fatis mitè suos tractans ægrotos,
in aliis autem ferocius se habens, cum non tantum in plebe sed & in-
ter Magnates & Principes personas, tenellas pariter atque adultas
funesta vestigia haud raro post se reliquit.

II.

Communiter ille Variolarum nomine innotescit, curaque jussu
Gratiosæ Facultatis Medicæ, in perantiq; universitate nostrâ Eber-
hardinâ, mihi injunctum sit, Dissertationem Inauguralem conscribere,
thema hocce præ reliquis elegi, sperans fore, ut tanto benignius ex-
cipiatur, quo magis morbus hic est Universalis atque ejus indolis,
qui interdum, nisi peritâ tractetur manu medicâ, damna pariter atque
incommoda haud contempnenda excitet, nisi æger plane de vitâ peri-
clitetur.

III.

Est autem fœdus ille morbus nulli parcens sexui, nulli ætati,
nulli conditioni, referendus inter acutos, cum ut plurimum ante tri-

A 2

gesimum

gesimum, imo interdum ante vigesimum terminetur diem. Incipit plerumque commotione quādam febrili plus minus intensa, cui concurrent pandiculationes, somnolentiae, palpitationes Cordis, Inappetentia, & praecipue solidorum anotexia, respiratio citata & quasi suffocativa, pruritus totius Corporis vel partis alicujus, praesertim pedum, manuum, Oculorum, Oscitationes, horrores, Calores; In plethorica nonnunquam haemorrhagia, vel haemorrhagica symptomata obtingunt, quæ sese produnt in Capite Cephalalgia, tinnitu aurium, striore dentium, rubore oculorum, lacrymis involuntariis; In organo spirituali tussicula atque raucedine se manifestant, illis autem, quorum primæ viæ scatent saburra, Vomitus atque Diarrhoea accedit, quæ pro circumstantiarum ratione salutares sunt, vel minus tales.

IV.

Alii e contra spasticis conaminibus tentantur, pavore inter vigilandum atque terrore inter dormendum, tremore arquum, subsulcibus tendinum, qui sèpe ad Convulsiones usque intenduntur, nec est, quod illas metuas, si mox erumpentibus Variolis emanent. Hæc que sunt præter propter symptomata, quæ difficulter erumpentes Variolas præcedunt, indicant atque concomitantur.

V.

Nam ubi placidam atque tranquillam horum exanthematum expulsionem natura tentat, hæc talia vel minimè vel rarissimè vel potius sine præviis ullis prævis symptomatibus apparent maculae, atque subinde cutis taetui sentitur alpera, quæ sensim sensimque tardius circius elevatur hinc inde in acumina, monstrante in superficie cutis, quoad molem, grana papaveracea, quoad colorem, rubedini albidae appropinquantia, quæ indies incrementum capiunt notabile, donec basis latius sese expandens atque in medio punctum aliquod fastigiatum exsurgat, in eam magnitudinem, quæ in non Confluentibus lentes vel maximas superat, tum Circulus in basi superveniens rubeus atque acumen aliquatenus subsidens monstrat, quod ulcuscula hæc se ab humidam facile meatientia, maturitas suæ gradum summum adepta fuerint, tum ubi res benè procedit, pulchre & cito exsiccantur atque sub specie

cie squamarum crassiuscularum, sine ulla foveolarum relictione, decidunt.

VI.

Hæc talia eveniunt, ubi natura suum, quod debet, facit officium, & ubi Medicus illam nec remediiorum copiâ, nec præpostérâ methodo turbat, externaque rite sunt comparata; *Car alors la nature seule tirera le malade d'affaire, si on la laisse agir, selon Helvet. pag. 235. dans son traité des maladies les plus fréquentes.*

VII.

Contraria autem methodo res evenit, si vel morbus populariter graffans ex aëris prava diathesi, vel, si mavis, calidâ humidâ contumione, putrescentibus effluviis repletâ, exasperatur, vel massa sanguinea, variis quis quiliis & humoribus acribus turgens, in despumatoriam ferocientem fermentationem cietur, vel ubi viscus aliquod nobile ex. gr. pulmones, labem aliquam notabilem ante invasionem patitur.

VIII.

Cum jam filum dissertationis delatum sit ad causas, dictumque, quod vel in Corpore nostro vel extra illud Variolarum causa quaeratur a variis varia; ideo paucis recensebimus varias hac de re aucthorum sententias. Quemadmodum in multis aliis, sic & in nostro morbo, cause sunt valde obscuræ, qua obscuritas ansam dedit vel Exercitissimis Medicis in multis abeundi sententias.

IX.

Sunt enim, qui nihil dicendo tamen aliquid dicere credunt, dum certæ aëris diathesi unicè causam adscribunt, cum tamen ex hac sententia omnes homines, variolas nondum passos, indiscriminatim invadere deberent; alii specialius diathesin illam exprimunt, allegando aërem, variis putrescentibus atque fermentativis exhalationibus infectum, concurrente calore humido.

X.

Nonnulli ad particulas venenosas confugunt, alii in æthera volando, peregrinum ætherem pravorum symptomatum atque ex-

A 3

anthe-

anthematum architectum in scenam producunt; forsitan ab influxu
aliorum ipsum derivantes.

XI.

E contagio, cuius tamen propriissimam indolem explicare ne-
quimus, res certius est deducenda, dum effluvia fermentescientia po-
ros vel pulmones subeunt, inque Massâ Sanguineâ despumationem
fermentatoriam eamque exanthematicam producunt.

XII.

Et quemadmodum hi in aere pescantes in varias scinduntur
hypotheses, ita illis evenit, qui intra corporis nostri pomceria cau-
sam indagant; Inter quos sunt, qui præter multos alios morbos, sic
etiam hunc vermbus corumque Excrementis, Massam sanguineam
conspurcantibus, in acceptis referunt.

XIII.

Alii causam rejiciunt in illum sanguinem, qui post partum
in Vasis Umbilicalibus fœtus remanet, unde illius expressionem,
ante ligationem atque abscessionem institutam, pro universaliter præ-
servativo habent, ubi autem hæc expressio fuit neglecta, Velicato-
rium umbilico impositum idque ad præcavendum & curandum
egregie conferre afferunt ex hypothesi.

XIV.

Reperiuntur, qui non satis expurgato meconio in illis cellulis,
quas Colon prope suam Valvulam atque processum Vermiformem
format, indurato assignant, ubique illud abusu esculentorum, potu-
lentorum, animi pathematum vel ab extus suscepto contagio extrica-
tur, atque actuatur, tum istas excitare commotiones in perufsuo
habent.

XV.

Alii in renibus succenturiatis, qui in infantibus excremen-
tiis humoribus turgent, malignam hanc causam latitare sibi per-
suadent, quos, sanguini si confunduntur, tragœdias hasce ludere
dicunt.

XVI. San-

XVI.

Sanguinis menstrui venenositas, quondam acriter impetita, hic pariter à nonnullis in scenam producitur, cum putent, quod nullis remediis corrigi possint, quæ in utero materno non potuerunt non fecuti communicari, & intimè insinuari.

XVII.

Alli non tam profundè in Corpore nostro causam latitare arbitrantur, sed illam glandulis subcutaneis impactam hærcere autemant, quæ ab impedita transpiratione nunc & tunc augeatur, atque à Causis internis vel externis, quas prolixe allegavimus, extricari fermentum istud variolosum afferunt; alii aliunde deducere nuntuntur, quæ omnia exponere nimis longum foret.

XVIII.

Cuique liberum relinquimus in tam largâ causarum segete eam feligere, quæ ipsi creditur probabilissima, namq[ue] juxta Sydenhamium non cognitione causarum, sed methodi convenientis & Experiencie comprobata cognirione, affectuum plurimorum curationis absolvitur: Sufficit, quod hypothesis sola, dummodo ipsi non ineptè superstruamus medendi methodum, haec tenus non tantum obseruerit, quin etiam multi curati fuérint & adhuc curentur à Medicis, qui Variolosum ægrum multis remediis isisque preposteriori non turbant; nobis enim insidet illa opinio, quod blandissima ea que parcè adhibita, si illis planè opus est, sint optima, nam subinde pene sine remediis emergunt multi variolosi.

XIX.

Itaque paucis etiam subjugam methodum, quam optimam observavi, hunc morbum probè curandi. Ut plurimum in principio Variolarum oriuntur motus febriles, quibus cum natura utatur ad augendas secretiones & excretiones, morbusque noster omnino debitam excretionem requirat, tantum abeat, ut hi ipsi insultus febriles planè sint suppressundi, quin potius blande fovendi, atque, ubi nimia ferocitate saviunt, in ordinem reducendi.

XX. Hisce

XX.

Hisce junguntur Vomitus atque Diarrhoea, quæ itidem minime adstringentibus compescenda sunt ab initio, quin potius, ubi intra debitos terminos haec talia eveniunt, certo sperare licet, quod & citius & tutius æger evadere possit; Interim ubi tam febris quam vomitus atque diarrhoea post plenariam eruptionem molesti essent, tutissimè adhibentur pulvisci absorbentes ex Crystallo, & diaph. Cinnab. Occ. &c. CC. usq. commixtis, quibus pro rei exigentia vel tantillum Theriacæ Coelestis adjungi potest, ubi autem potiuncula magis arrideat palato ægroti, aq. plantag. sambuc. nymph. lactuc. Card. ben. cum Syr. papav. err. addito tantillo pulvicularum memoratorum, atque extracto Croci vel Essentiaz myrræ, ne retrocedant. Sint autem haec duo ultima in dosi parciore. Atque hac ratione spero fore, ut sine ulteriore magisque coacto apparatu, haec symptomata debellari possint, nisi tardius Medicus supervenerit atque inflammatio imo exulceratio intus facta fuerit profundior.

XXI.

Ubi adstricatio alvi tempore eruptionis sepe monstrat, tantum abeat, ut alvus sit proritanda, ut potius inter bona signa ut plurimum numeretur; observantur enim ægri, qui per integrum ostium alvum non exonerantur, illamque ipsam adstricitionem cum euphoria tulerunt. Ubi autem quotidie vel alternis diebus fæces alvinæ debitè exonerantur, tanto melius est, simul ac autem sua sponte variola exsiccatæ decidere incipiunt, & alvus diu fuit clausa, nihil impedit alvum per intervalla solicitare cibis lenitivis, atque salibus digestivis, cum tantillo rhabarbarino stimulo.

XXII.

Tussis, raucedo & respiratio difficilis ægrotos quosdam fatigant, ideo exhiberi potest mixtura ex aq. scabios. hysop. bellid. cum Sir. de erysimo Lobel. Hysop. liquirit. addito pulviculo absorbente, numquam autem in ejusdem casibus negligenter parcam dosim Croci vel Essentiaz vel extracti huic addere, cum Crocus sit anima pulmonium, atque à multis egregiis Practicis tanquam peculiare remedium laudetur,

tur, variolaceam, sic dictam, Venenositatem compescendi, atque Exan-
thematicas efflorescentias blandè promovendi. Schenckius specificè
laudat decoctum raparum cum ficubus. Aliquid boni etiam præstat
decoctum hordei cum tantillo radicis altheæ.

XXIII.

Ubi pavores, subsultus tendinum, das Zucken der Sehn-Aldern/
atque Convulsiones, vel adsum, vel instant, optimum est, configere ad
nervina & antispastica, junctis nonnullis remediis, quæ specificè
convenire observantur, e. gr. aq. fl. til. ceras. nigr. pœon. paralys. qui-
bus, scorsim, vel conjunctim sumtis, instillantur paucæ quædam guttu-
læ Liq. CC. Suçinat. quæ edulcorari possunt, syr. fl. pœon. rub. id.
fl. tunic.

XXIV.

Pro potu ordinario sint species simplicissimæ, nonnullis, imo
plurimis, per totum morbi decursum sufficit decoctum tenue ex
anis. fecicul. CC. usf. addito fico, ubi organum spiritale pati-
tur, & ubi urinae secretio difficultior, addatur parum radicis symphyt.
de quo æger calidiusculè ad satietatem bibat. Cum autem mo-
dernum seculum potui calido sit valde assuetum, tenuia infusa thei-
formia ex betonic. & Veronic. fl. papaver. err. pœon. til. betonic. addi-
tis vel omisso radicibus graminis, & Sarsaparill. ab initio usque ad
finem his terve per diem utilissimè continuantur, ita enim sanguini-
nis visciditas diluitur, acrimonia subigitur, mador diapnoicus pro-
movetur, & cum madore efflorescentia pulchrè egrediuntur, qui-
bus benè procedentibus pavores evanescunt, subsultus tendinum
egregiè compescuntur.

XXV.

Convulsiones autem non adeo timendæ sunt sub hoc ipso
regimine, dummodo memori mente teneatur, quod ut omne ni-
mum naturæ inimicum, sic præcipue in hoc morbo, tam regimen
sudoriferum, quam admissum frigus multis obfuit, & ad orcum de-
trusit; ubi enim extus focus nimium fervet, atque æstuans aer in-
spiratur, stragulis spissis ægrotus, febrilibus commotionibus jam
satis superque æstuans, operitur, spirituosa calida sicca, larga manu
B intus

intus exhibentur, non potest non, quin multa tristia, vixque iterum coercibilia, oriuntur symptomata, Variolæque loco eruptionis blandaæ atque facilis difficulter exeat, vel plane, si jam egredi inceperunt, remeent, fauces exsiccant, proinde, ubi jamjam apparet Ulcuscula, seu scabies Variolacea, nullisque pravis symptomatis stipantur, multò magis opus habent bonâ diætâ, quam multis remediis.

XXVI.

Interim, cum aliquid dandum sit sollicitudini matrum, atque flagitantibus amicis, inò ipò morbo, saltim ne noceamus, exhibere debemus remedia, sint autem illa tutissima; Consultius enim est, paucis atque fidis remediis infistere, quam multis atque fallacibus: Inter quæ eminet prædictum infusum theiforme, horis matutinis, atque vespertinis, nocturno autem tempore pulvisculus ex δ diaph. vel Bezoard. mineral. pulvere pannon. rubr. March. epilept. specif. Ceph. Mich. cum tantillo succini & nitr. $\ddot{\text{S}}$ iat. & sic usque ad maturationis tempus pergit: non est, ut moneam, pulvilloz illos facile aquis posse immisceri, atque syrups, ut dictum est, edulcorari.

XXVII.

Multa adhuc dantur remedia, quæ tanquam specifica ab authoribus citantur, quorum nonnulla hic recensere volumus. Gallus B.. methodo nobis insolita & popularibus nostris paradoxâ, ab initio laudat venæ sectiones iteratas & ensuite il faut donner chaque matin pendant trois jours la dose de douze grains de poudre de Vi-pere dans un bouillon. S'il y a lieu de craindre, qu'il se fasse, ou qu'il commence à se faire un transport au Cerveau, il faut saigner au pied, & donner selon, que le Medecin le trouvera à propos, aux enfans jusqu'à trois drames de vin émetique, à ceux, qui ont quelqu'âge, jusqu'à une once. Il ne faut pas donner de remèdes Cor-diaux de peur, qu'ils n'augmentent la fermentation, le malade doit user pour breuvage ordinaire de ptisane d'orge, à laquelle il faut meler quelques gouttes d'esprit de Souphre, ou d'esprit dulcifié de sel ou de Vi-viroli.

XXIII, Sy-

XXVIII.

Sydenham commendat, in Variolarum anomalarum constitutio-
ne, spiritum Vitrioli, tanquam revera specificum, exhibendum cum
cerevisia tenui ad gratam aciditatem, in perdomandā caloris ferociā
& putredine oppugnandā. Helvetius Syr. Cordial. de Contrajerva,
& ptisan. Cordial. de cādū p̄e reliquis per decursum Variolarum
laudat. Waldschmidius pag. 371. ait: Utimur quodam remedio in
formā liquidā, quod à p̄imis statim diebus, usque ad finem, in a-
dultis ad Cochlearē unum dari potest, quo ipso puto reconvalescen-
tiā, divinā adjuvante gratiā, certè promitti posse; ut ut gravissima
sint symptomata. Hoc ab ipso occultatum remedium nihil aliud
esse dicunt, quam Tincturam aquilegiæ saturato purpureo vel cœ-
ruleo colore: alii idem de bellidis rubra efficiā afferunt.

XXIX.

Peculiarem methodum, Mercurium & Antimonium p̄aprandi,
docet Bohnius in *dissert. de Variolis*, de quibus magnificè loquitur,
non enim veretur afferre, perfectam & radicatam Variolarum cu-
rationem, ut & ceterorum morborum lymphaticorum, in his rite
paratis primum, hinc myrrhatis consistere.

XXX.

Ubi Medicus aggreditur agrum, in quo vel à p̄aposterā me-
thodo Variola vel incipiunt retrocedere, vel jam jam retrocessere,
penè unanimi consensu confugiunt Practici scopo externo ad ves-
icatoria: Notandum autem, post vesiculos factas ulcuscula per ali-
quot dies servanda esse aperta, & lymphæ affluxum aliquandiu citra
noxiam continuari posse & debere. Interno scopo egregiam commo-
dant operam semina expulsive formā emulsivā exhibita, quibus in
parcā dosi sociari possunt myrrhata & pulveres absorbentes bezoar-
dici; Interim, sub hoc ipso regime, agro nunquam denegatur
largior potus, p̄cipue calidus, cum tranquillā in lecto continentia.

XXXI.

Nonnulla restant, quæ haud insuper habenda, inter quæ emi-
gent oculorum vitia, quæ obtingunt vel in bulbo, vel ipsam iridem

tangunt, interdum palpebræ vel glandulæ sunt obsitæ, cum plurimum relinquant, si non planè depravarum visum, tamen aspectum fœdum, quibus occurrere & Medici officium & ægrotantis preces exposunt. In antecessum monemus, quantum possibile sibi temperet Medicus, ne remedia hoc in statu applicet oculis, nisi urgeat necessitas, facilius enim leviora symptomata, naturæ relicta, evanescunt suâ sponte, qua Collyriis tentata exasperantur, interim ne Medicus hâc in re otiosum agat spectatorem, præscribat remedia experta; inter illa autem eluent, aq. ros. Euphras. plantag. Chelidone aquileg. bellid. cum tantillo Croci, qua plus præstant, quam multa alia: si in oculis ulcuscula relinquuntur, unguentum de nihilo, vel simpliciter unguentum album, cum vel sine Camphorâ & Croco abundè sufficit, præcipue ubi sub finem illorum sub jungitur purgans, de quo paulò post nostram dicemus sententiam.

XXXII.

Nullâ autem re certius oculorum vitia præoccupantur, juxta Stahlium, quam si lintea, Spíritu vini camphorato crocato largiter imbuta, sed quoad propemodum secca sentiuntur seposita, tunc demum oculis superponantur. Ubi tamen etiam interceptio fulgidæ lucis oculos percellentis: cautio à ploratu: abstinentia à frictione oculorum, eximium sibi locum vindicant. Vel si sèpius lac maternum calidè ipsis instiletur oculis; vel ad modum nutricis, cuius meminit Cent. 1. hist. 21. Barthol. qua dolore Infantis commota, lingua propriâ oculos pueri periclitantes lingebat, sicque referatis oculis, abstersaque sanie, oculi servabantur integri.

XXXIII.

Foveas atque Cicatrices in puellarum facie, præsertim sollicitudo matrum extimescit, de quibus præservandis varia circumferuntur methodi; nonnulli jubent, ut Variola, præcipue autem confluentes, instrumento ferreo vel aureo aperiantur, quæ apertio quibusdam utique profuit, in aliis autem, etiam apertis Variolis, tamen remanserunt tetra vestigia atque Cicatrices, propterea multi hanc ipsam apertione respuunt, atque præsidium querunt in unguentis atque Linimentis: quamvis si litus emanere possint, naturæque res relinqui,

Inqui, melius omnino esset, juxta, & itineribus & omni elegantiori eruditione, atque experientia medicâ celebrem, Lentilium in Eteodr.

p. 1102.

XXXIV.

Nobilis quædam Matrona mihi suos monstravit Infantes, quorum facies Variolarum erat refertissima, ipsi inungebat pinguedinem, quæ ex pede bovino, aqua simplici probè decocto, supernatabat, & hâc methodo obtinuisse credidit, quod facies nullis fovealum vestigiis fuerit deturpata; alia remedia apud River. reperire licet.

XXXV.

Ubi acrimonia nimia adhuc oberrat in sanguine, atque præpostâ methodo Variolæ tractata fuere, relinquunt etiam ulcera cacoëthica, quæ peculiarem atque promtam, ne in fistulas abeant, vel offusbus cariem inducant, requirunt operam, in quibus itidem præter manum Chirurgicam intus prosumt laxantia atque purgantia, jamjam tradenda.

XXXVI.

Multi ægri, è Variolis erumpentes, nimis cito aëri frigido scelere exponunt, atque sub initio invasionis, in mò & in ipsa maturatione, dia-phnoico regime sefa subducunt, ideo scabies fecunda, hinc inde in corpore, præfertim pravis humoribus turgido, propullulat, interdum sic faris in ipsa curatione rebellis. Huic malo, ut & plurimis aliis, inter quæ numeramus Vitia oculorum, ulcera, atrophiam, phthisin, pleuridem, diarrheas, lafitudines, medetur, ubi, superato morbo, in complimentum cura, pro conditione ægri, laxans vel purgans exhibetur, atque justis intervallis, si opus est, repetitur; ubi autem scabies vel ulcus scula aliquandiu ægrum jam vexarunt, atq; causa altius ipsi sanguini est innidulata, per epicrasin purgans est adhibendum, subjunctis tum deum nonnullis remediis, hisce exulcerationibus specificè debitis; Quippe in horum remediorum dextro usu, annuente Numine, spem nostram ponimus. Hæc sunt, quæ pro nunc paucis in medium proferre volumus, multa specialissima annextere potuimus, nisi temporis nostri ratio suisset habenda, quæ non permittit, tractatum integrum adornare.

B 3

XXXVII.

XXXVII.

Subjugam tamen adhuc nonnulla curiosa, quæ non ex propria observatione, sed ex Lectione Optimorum Practicorum excerpti; quemadmodum natura in multis rebus, sic nec in morbis, semper eadem incedit viâ; ita id præcipue etiam in Variolis evenire solet. A fide dignis mihi relatum est (imò & mihi tale exemplum in nostro Ducatu videre obtigit) quod Infantes aliquando diebus aestivis, & matutinis & vespertinis horis in Saxoniam, in Galliam Narbonensem, in plateis indiscriminatim observati fuerint oberrare, sine subsequentibus pravis Symptomatibus; In Græciâ autem juxta Riverium id communissime ob cœli clementiam evenire solet: Idem etiam obtigit in Americâ ante adventum Hispanorum, in quibus Regionibus Medicorum curam non meruerint.

XXXVIII.

In Islandiâ grassari scribuntur anno quovis vigesimo recurrente, persuaſique sunt Incolæ, qui tum variolis non laboraverit, annum vigesimum abinde non excessurum, sed terminum recurrentem non attacturum.

XXXIX.

Observati fuerunt ægri, qui alterâ parte Variolis, alterâ mortillis fuerunt obfessi; in aliis sese sociabant Variolis petechiæ.

XL.

Wedelius annotat gemellos, fratrem & sororem, hanc Lipsiæ, illum Wittebergæ, Variolis infestatos fuisse uno eodemque tempore; cui accedere potest, Variolarum contagium sympatheticum ex Obs. XII. Cent. II. Pechlini.

XLI.

Inter curiositates nocuas pono intempestivum illud studium, Variolas ad partes ignobiliores, scilicet pedes, quotidianis pediluviosis derivandi, ne deturpetur facies, hâc enim ratione Virgo Belgica faciem pulchram conservasse legitur, succedente pedum paralysi incurabili.

XLII.

XLI.

Horsius miraculi instar annotat, linguam Variolosi ad radicem usque putrefactione absuntam renatam fuisse.

XLI.

Observationi commendamus, utrum verum sit nec ne, quod Gallus quidam Mr. B.: dans son traité nouveau des Medecine p. 337. statuit. Si le fetus a été conçu sur la fin des menstrues, il reçoit une grande quantité de ce ferment, & ses parties hétérogènes se mêlent avec la masse du sang comme une matière étrangère, & se fermentent avec le sang par le mouvement, que leur donne une cause évidente.

XLIV.

Quemadmodum sunt, qui apertione Variolarum atque variis inunctionibus foveas præcavere student; sic etiam dantur, qui cauterio actuall id obtinere tentant, dum titione cacumina adurere jubent; E. N. C. 2. 9. maturescentibus lamina ferrea candens suadetur admoveri è propinquuo, ita ut facies benè incalseat, sic à celestiori exsiccatione non relictum iri fossulas. Alii colores rubros lecto circumponunt visuique offerunt, ut blandior fiat eruptio; alii oculis admovent aurum, ne detrimentum capiant.

XLV.

Stahlius, in dissertatione de Variolis & morbillis, peculiarem planè methodum Gundelsheimianam citat, Mannam arque Cassianum alternis diebus exhibendo, quā medicatione, per plures dies alternos continuatā, aſsequitur tam decursum, quam exitum horum exanthematum adeō simplicem atque ordinatum, ut patientes communiter orthostadiā (modò intemperantia abſit) prudenter uti & gaudere possint, & omnia ita sine ullis incommodis rectissimè procedant atque decadant.

XLVI.

Multi preservationem tanti mali variis remediis obtinere student, mirèque hoc fine laudatur à Bohnio & in Ephemeridibus Mercurius dulcis. Imò mihi notus est amicus, qui confidenter aſſerit, se

rit, se nonnullos auro per alcali (juxta modum, quem didici ab Ar-
chiatro Bada-Durlacensi Felicissimo, Dn. D. Eichbrodt,) soluto præ-
servasse, inter ipsos variolosos in variis locis graviter & leviter de-
cumbentes versatos, sine ulla Variolarum indiciis, multò minus
vestigiis. Nos autem, quantum in nobis est, intempestivum illud
præservandi officium, in primis inteneriore aetate dissuademus, nisi quis
malignam Epidemiac constitutionem declinare, & meliora tempora
expectare confidat. Cum enim tria illa, à Stahlio adducta argu-
menta, sub sint, nempe primò, quod nemo, quamdiu etiam vivat,
immunis esse possit, quin semel hunc morbum experiri metuat. 2.
tenuerit atque ordinariè minus periclitetur & facilius supererit, 3. ad-
ulta è contra omnibus modis majus periculum hinc aedat: longè
certè consultius arbitramur, in juventute huic malo sub fiduciâ justâ
animum submittere, quam totâ suâ vitâ metus hujus mortis ser-
vum esse.

XLVII.

Sydenham ait: Raro admodum Variolæ interstinctæ sui relin-
quunt vestigia, atque illæ fermè sola, quæ sex postremis anni men-
sibus invadere, cum, quæ hos præverterint, nullas cuti notas impri-
mant, nisi forte confluxerint. Waldschmid autem asserit: Vario-
læ, quæ sex postremis anni mensibus invadunt, nullas post se relin-
quunt foecas. Harum item sola praxis clinica dirimere potis est,
cum sex anterioribus & posterioribus mensibus cutem Varioloso-
rum foecis infestatam fuisse, creberime observetur.

XLVIII.

Illud quoque prætenditur, lunâ decrescente erumpentes Va-
riolas ut plurimum benigniores esse iis, quæ lunâ crescente prode-
unt; & periculosius laborare illos, quorum parentes Variolis male
multati fuerunt olim.

XLIX.

Ex disputatione Excell. D. Præsidis de *Lne Vaccarum* constat,
Febrem harum fuisse observatam exanthematicam; dubiè tamen,
utrum paucæ, quæ cum puftulis evaserant, scabiem potius, an Variolas
per cutem exhibuisse fuerint dicenda. Scilicet, quam universalis,
quam

quām Essentialis lui fuerit, quas circumstantias habuerit, pustularum eruptio, nondum satis tunc constabat. At verò Celeb. Lentilius, ante triennium cum Serenissimo Principe Hereditario (cui salutem Deus!) Hagæ Comitum in Batavis commoratus, quo tempore lues ista inter armenta grastabatur, Physico ibidem Dn. Windhausen, perle&cis, quia ad Senatum de cā relata erant, asserere non dubitavit, morbum esse ipsissimas Variolas, adeò concordabant omnia, modus invasionis, augmenta, status, declinationes, eruptiones pustularum, salivatio, consipatio alvi, astus ac primò horror, quasi febris, fitis & plura: Ex post facto confirmatus verbis Ramazini in app. E. N. C. Dec. 2. ann. 9. Tuberula, quæ in capite, collo & cruribus pecudum visebantur, revera Variolas fuisse, licet profecto asserere, quandò nec figurā, nec colore, nec liquore in illis contento, nec magnitudine, nec modo, quo solvebantur, post suppurationem nigra crustā superfite, quidquam à puerorum Variolis discernebant.

LIII.

Hanc sententiam Societas nuper modò Medica Genevensis suam fecit, & singulari specimine parallelismum exhibuit notabilem, eundo per singulas comparationis partes, & monstrando convenientiam tantam & talem, inter pustulas utriusquè luis, boum & hominum, variolacea, præter tamen ineptitudinem & difficultatem, qua in illorum sanguinis spissitudine & cutis densitate constituitur, ut suam medendi Variolis methodum, reprobatis antidotis calidis, temperatam ipsis accommodare non dubitaverit: (Nisi quam reformationis suspicionem relinquant ex Giorn. d' Italia Tom. XIX. Vermiculi, & Variolas totidem faciant Gallas. Quales autem illi? An peregrini? quia per Contagium accedere videantur. Cur non domestici, concreati, hereditarii, qualicunque excitandi occasione, Vallisnieri? vel Leuwenhoeckii forte feminales, quorum in Conceptu non fuit usus, in factu plus minus superstites, vel tandem, semel, excutiendi? per modum fictionis pro fictione: ut alibi B. L.

LIV.

Confirmavit Thesin Laud. Societas exemplo ovium, præter
C scabi-

scabiem Variolas ipsis assignans, vel creditam earum scabiem Variolas declarans, epidemiam modò benignam, aliàs malignam ovium luem similiter Variolaceam describendo. Sic forsan & illa Fe- lium scabies epidemia, quæ legitur in E. N. C. in censum Vario- larum veniet, siquidem stragem edidit ingentem, pustulas autem habuit per caput & collum vel faltem, vel maximè. Aliàs pradi- catum scabiosi vel tineosi tulit Canis : Et grex totus in agris Unius scabie cadit & porragine porci.

LV.

Sebizius olim non desuisse scriptis, qui Variolis etiam labo- rare bruta voluerint, verum ipse humanae speciei proprias asseruit, ad Experientiam tunc provocans, quâ observatum non fuerit, quod illa Variolis fuerint detenta. Analogiam addidit ex Arle, bruta etiam non ita menstruum fluxum pati, ac mulieres, sed par- cius & rarius. Scilicet superfluiditates ipsis non esse purgandas sed præoccupari per simplex & laboriosum vita genus, vel consu- mi conversione in pilos, vel cornua, unguis, squamas, cortices, pennas &c. Qui frequentiam & diversitatem morborum in corpore humano præ brutis non tam in materia, quam in principio distin- guente, constituit Stahlius, frequentem hominibus monet esse fe- brium proventum, quæ è contra inter bruta vel planè non, vel cor- tè rarissimis & verè dubiis exemplis, observantur. Familiariores sunt brutis squalores cutis & secidates ulcerosa, scabiosa. Non tamen illo more, quo hominibus obtингere solent, ut peculiares partes seorsim prehendant, ut caput, faciem seorsim, aures privatim, &c. immo nemo non videt, quod etiam hujusmodi affectus brutis facilius eveniant ab externis causis, quam internis: quod ipsum de ho- minibus pari modo dici minimè potest. P. Wolff Phys. hipp. p. 30: Etenim experientiâ notissimâ, dolendâ quidem, villici & op- liones testantur, sèpius Variolas epidemicò contagio totos ovium greges inficere & perdere; quas facilius æstate, quam hyeme, pro- pter transpirationem insensibilem, in hac imminutam, superant. Qualia quidem ulteriori observationi modo relinquimus; interim tale quid præ oculis habuisse videntur illi, qui vervecem in cubi- culo

culo variolandii tenuerunt, ut scilicet in ipsum transplantarentur Variolæ. Quid verò in aquâ infusionis ovilli stercoris inventit A. Pitcarne, ut eam ad variolas bibendam daret, qui artem medendi esse nullam voluit, sed talium modo memoriam, quæ casus, usus morbo utilia ostendit?

COROLLARIA.

1.

Paracanthesin in asciticâ sexagenariâ symptomata mitigasse, non autem vitam salvasse, observavi.

2.

Vulnera etiam tendinum in manu, solâ aquâ phagedenicâ & foribus calidis, sine amissione motis intra breve temporis spatiū curata esse, à Viro fide digno mihi relatum est.

3.

Moxam germanicam dolorem íchialidum brevi temporis intervallo mirè sustulisse, apice : Sic & in Podagra exoptatum effectum edidisse, nihil relatum est.

4.

Moxa eundem usum habet in tumoribus genu fungosis, cuius applicationem & effectum pariter summa cum admiratione intutus sum.

5.

Cachexiam cum valde tumido frōto, pene, abdome, pedibus & cruribus, concurrente febre, post pauca remedia, largissimum narium hemorrhagiis, subjuncto decocto purgante, in milite curatam scio.

6.

Præter salivationem Mercuriale datur adhuc alia, e.g. ab ipsis Variolis, quibus fauces infestantur, saliva multa profunditur, qui proin certius evadere dicuntur. Porro qui feliciter dentire solent Infantes etiam subinde per aliquot septimanias largissimum Ptyalismum patiuntur. Apophlegmatizantia, & precipue pyrethri radix, & fumatio tabaci, multam proliciunt salivam, prout omnibus notum est.

7.

Curiosa est, abusivè ita dicta, salivatio narium, ope gummi guttae vel præcipitati Mercurialis excitata, cuius meminit Laudatus Lentilius in numero quam

C 2

quam

quam satis laudando Etoadr. p. 1293. 1297. 1306. Huic geminum exemplum extat in utilitate philosophiae experimentalis Boylei p. 346. in aliis locis vocant die Flüss abzäppfen.

8.

Curiosa item & rara est observatio, quod quidam Nobilis, architecturā civili & militari excellens, vernales atque autumnales largissimas, sine hyperbole, salivationes passus fuerit ex abuso, uti putat, pulveris tabaci hic panti, nimis quia subinde recurrebant illius usū, omisso autem illo etiam salivationes remittebant, nec per se redibant; qua, etiam ager diebus noctibusque frigidis in plateis obambularet, tamen non nisi peracta periodo quindecim, imo plurium dierum intermittebant, & quidem cum euphoria.

9.

Medicus quidam longevitatem mirè anhelans illam obtinuisse credit, sumto ex triplici regno praefidio. Auri fructum perpetuo in pectore gerebat: Foliis quernis plumarum atque straminum loco indormiebat: Damatum carne creberimè vescebatur; quia credebat, hæc tria præ reliquis corruptioni diutius resistere.

10.

Annotationem, meo quidem iudicio, meretur, Asthamaticum & Podagricum curatum fuisse ab utriusque Paroxysmo, superveniente & diu durante Gonorrhœa Virulenta; unde argumentum sumo pro utilitate diversionum, quanquam hic fonticulus plus evacuat, ac fonticuli in pede & brachio.

11.

Signum hausti veneni arsenicalis externum, à Stahllo in anchiato annatum, etiam observavi in fœminâ arsenico interemta.

12.

Vini potum, glacie refrigeratum, astivis diebus ordinariè inter prandendum & coendum haustum, tam plebs quam Medici Monspelii causam esse dicunt, quod febres malignæ nunc longè rariores sint in istis locis, ac olim: quod, uti plura, deboe Laud. Dn. D. Eichrodt, Patrono & Praeceptori meo Honoratissimo.

I.

Agricole, precor, ut faveat benedictio cœli.
Non ager, annus enim fructificare solet.

PRÆSES.

II.

Dum solers, morbi quæ sint momenta maligni,
Differis, in pueros qui cadat, inquè Viros;
Deque colore gerit vario nomen, varièque
Jam torst Medicos, quid sicut ille mali?
Prodis, Te varià formatum jam arte medendi
Pollice non uno, ^{re} sive què tenere gradum.
Gratulor ex animo hoc specimen! post plura sequantur
Ariis & Ingenii: faustaque Praxis eat!

Sic

Nobilissimo Dn. Candidato,
Fautori suo certissimo,
ex veteri affectu applaudit,

T. M. I. G. S. R.

III.

Variola, Papulaeque atque exanthemata causas
Unde suas habeant, quove medenda modo:
Differis ingenii multa cum laude, docesque
Tollere pestiferum, docte Philippe, malum.
Huc ades, & Juvenem cursu tua signa petentem,
O Camerariade Magne, venire jube.
Inque Sacra Cathedram rape tecum audacter Hygæa;
Pars erit ille tui non inhonora gregis.

f.

JO. CASPAR MALSCHIUS,
Gymn. Durl. Prorect. & Prof.

C 3

IV. Duris

IV.

Duris Nomen agris infidit vomere sulcos,
Subquè micante Ceres sole resecta cadit.
Omen at uberioris stomacho suo pharmaca spargit,
Ex ipsoque salus semine summa fluit.

Nobilissimo Dn. Candidato
atquè Amico brevibus applaudit
JOH. PHIL. ELWERT, M. D.
Phys. ordin. Vayhing.

V.

Suspectos Flores, feeda Exanthemata curas.
Hinc efflorescit non mala fama TIBI.

Clarissimo Dn. Candidato
gratulabundus apposuit

ALEXANDER CAMERARIUS, Med. Licent.

VI.

Was Kinder-Pochen seyn? sind keine Kinder-Possen;
Es hat schon mancher Arzt den Kopf daran verstoßen.
Dann wie und was Gestalt / warum und auch woher
Sich eine Krankheit komm? fällt manchem noch zu schwer.
Doch aber wissen wir / daß auf der ganzen Erden
Auch selbst die Doctors nicht davon verschonet werden!
Nun Du mit grossem Ruhm von solchen disputirst /
Was hinderst / daß Du nicht darneben absolvirst?
Und stellest jedermannes Sonnenklar vor Augen /
Doch Bairen-Mittel oft am allerbesten taugen.

Dieses sezte seinem Wehrtegeschägten Hr. Landsmann
mit eilender doch wohlmeynder Feder allen fernern
succes herzlich anwünschend

Tobias Friedrich Hock/
Geheimer Registrator zu Ehlingen.

VII.


Bei einem Medico kommtts auff die praxin an/
Der Herr LICENTIAT muß mir dabey gestehen/
Dass ein Haß Mittlein oft bestens helfen kan.
Ich möchte seiner Kunst nun eine Probe sehen/
Drum frag ich / wie man sonst pflegt bey der Pfesser-Muth/
Vor welche Zustand ist wohl auch der Pfesser gut ?


Mit diesem wenigen wollte Hr. Licentiaten zu
rühmlichst vollbrachten Studiis gratulieren /
und sich zu gutem Angedenken beschulen
der Verfasser.

VIII.

DE Varis variant variorum dogmata: rebus
Fac TUUS in Variis non varietur amor
Hinc affectuum suum Fratri suo Suavissi-
mo significare gratulabundus voluit
M. J. J. BAUR, SS. Theol. Stud.







DO A 6374



WPA



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



62.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA

DE
VARIOLIS,

Confensu ^{Quam} & Authoritate
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
IN ALMA EBERHARDINA

P R A E S I D E

DN. RUDOLPHO JACOBO
CAMERARIO,

Phil. & Med. Doct. Hujusque Prof. Publ. Ordinario

Celeberrimo,

Facultatis Suæ DECANO Spectatissimo,

Dno. Patrono & Preceptorre suo omni observantie
cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORALI

Summisque in arte Medica honoribus atq; Privilegiis
rite & legitime capessendis

publice ventilandam proponit

PHILIPPUS JACOBUS BAUR, Vayhingenensis.

Ad diem Febr. MDCCXVII.

Hor. loc. consuet.

TUBINGÆ, Literis JOSEPHI SIGMUNDI.